

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Epistolas, ad T. Pomponium Atticum, M. Iunium Brutum,
Quinctum fratrem

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In Epistolas M Tvllii Ciceronis Ad T Pomponivm Atticvm Pavlli Manvtii
Commentariivs. De ordine Epistolarum Libri Primi.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770415](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770415)



IN · EPISTOLAS
M · TVLLII · CICERONIS

A · D

T · POMPONIVM · ATTICVM

PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS



De ordine Epistolarum
Libri Primi.



NT E quam ad explanandum aggrediar, ordo ipse postulat, ut agatur de ordine epistolarum huius libri: quae, ut infra descriptum est, rectius, opinor, disponentur, quam quo modo ab imperitis librarijs collocatae nunc leguntur.

Quantum dolorem, epistola 1.

Hoc puto cum alijs argumentis, tum hoc praecipue, quod, ante nullas ad Atticum misisse litteras, indicat ipse non obscure, cum ait: Numquam a Pomponia nostra certior sum factus, esse, cum litteras dare possem. porro autem neque mihi accidit, ut haberem, qui in Epirum proficisceretur; neque dum te Athenis esse audiebamus.

Non committam, epistola 2.

Cum superiorem proximam ostenderit primam esse; secundus huic locus debeat, necesse est. iterat enim & de litterarum missione, & de Quincti fratris animo erga Pomponiam. Existimo etiam (& haec, quae scribimus, scribimus opinantes, gratias habituri, si quis meliora dederit) hanc epistolam diuidi in duas oportere: ut prior in eo terminetur, Quid agas omnibus de rebus;

A &

Et quid acturus sis, fac nos quam diligentissime certiores: quae est aptissima epistolae clausula: deinde altera incipiat, Apud matrem recte est; quale est etiam sequentis epistolae initium. Priorem autem scripsit, nullis Attici litteris respondens, ut res declarat; alteram, cum responderet, acceptis ab Attico litteris paullo post, quam ipse scripserat. Puto etiam unam non esse epistolam hac de causa, quod de signis non scripisset duobus locis, sed coniunctim, nisi si hoc dicas, per aliquot dies in manibus habitam, et extremam partem, spatio interiecto, acceptis ab Attico litteris, esse additam.

Apud te, epistola 3.

Tertia est, quia scribit, se Cincio pecuniam curasse: quam curaturum scripsit in proxima superiore.

Nimum raro, epistola 4.

Haec superiorem proxima sequitur. in illa enim dubitat, utrum Lentuliani Atticus uti possit; in hac ex Lentuli sermone affirmat.

cum essem, epistola 5.

Cum enim in ea, quam tertia sede constituimus, ita scripisset, Tulliola tuum munusculum flagitat, me ut sponsorem appellat; in hac, ut Atticum de munusculo magis urgeret: Tulliola, inquit, iocans tibi diem dat, sponsorem non appellat. Et, quoniam in hac epistola, signa Megarica nondum in naum imposita, significatur; in illa vero, cuius initium est, Crebras, iam in Formianum aduecta perspicuum est: nimirum apparet, hanc ante illam esse collocandam, quod cum ita sit; illud, quod in hac ita scriptum est, De comitijs meis, accipio de praetorijs: nam de consularibus non potest: cum illa, quam post hanc esse scriptam ostendimus, a Cicerone praetore scripta sit, ut C. Macri condemnatio declarat: quem condemnatum a Cicerone praetore, testes locupletes affirmant, Valerius, et Plutarchus.

Et mea sponte, epistola 6.

In hac quia scribit idem, quod in proxima superiore, ut sibi Attici libri conseruentur; de comitijs praetorijs, non de consularibus, puto significari. Et in hac quidem, statos comitiorum dies iam praeteriisse, manifestum est: in illa, nondum aduenisse. ergo et haec post illam constituatur; et de comitijs praetorijs intelligamus.

Crebras, epistola 7.

Cum de comitijs praetorijs in duabus superioribus agatur; ordo postulat, ut haec sequatur proxima, quam praetor scripsit, cum C. Licinium Macrum condemnasset. Valerius, Plutarchus.

Petitionis, epistola 8.

Haec vero cum anno, qui est praeturam consecutus, scripta sit, (scripta est enim Cotta et Torquato cos. cum Cicero prensaret) recte hunc locum sibi vindicabit, proxime post eam, quae in praetura scripta est.

Abste

Abs te, epistola 9.

Haec quoque praefationis anno, sed in extremo, consulibus iam ante designatis Caesare, & Figulo, scripta est, haud multo ante mensem Ianuarium, cum dicat, Tuo aduentu nobis opus est maturo; deinde inferat, Ianuario ineunte cura ut Romae sis. accersit autem Atticum ad comitia sua, consularia videlicet, non praetoria; quia Catilinam appellat competitorem suum: qui competitor esse non potuit in petitione praeturae. quo enim anno praeturam Cicero gessit, Africam Catilina propraetor administrabat, ut est in oratione pro Coelio. ergo praeturam gessit ante Ciceronem. & cum in hac epistola Atticum accersat ad comitia sua consularia; manifestum est in epist. 7. de comitijs consularibus accipi non posse; ubi Atticum tantum abest ut accersat, ut etiam prohibeat.

Teucris illa, epistola 10.

Inter hanc, & proximam superiorem integrum triennium interest: tantum enim distat consulatus Messallae, & Pisonis, cuius haec initio scripta est, a consulatu Cottae, & Torquati, quo in extremo scriptam ostendimus proximam superiorem. neque tamen hoc toto triennio Atticum abfuisse credatur. fuit enim Romae Cicerone consule, ut ostendit epist. 15. l. 1. & 1. l. 2. sed, cum Romam maxime Ciceronis causa redisset, postea rursus in Graeciam ad sua negotia reuersus est. Nunc, quibus quaeque consulibus scripta, ostendamus.

I. Quantum dolorem, L. Caecilio Metello Cretico, Q. Marcio Vatia cos.

II. Non committam, iisdem consulibus.

III. Apud te, C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione cos.

IV. Nimum raro, iisdem consulibus.

V. Cum essem, iisdem consulibus.

VI. Et mea sponte, iisdem consulibus.

VII. Crebras, M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo cos.

VIII. Petitionis, L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato cos.

IX. Abs te, iisdem consulibus.

L. Iulio Caesare, C. Marcio Figulo cos. nullae litterae: M. Tullio Cicerone, C. Antonio, nullae: D. Iunio Silano, L. Licinio Murena, nullae.

X. Teucris, M. Pupio Pisone Calpurniano, M. Valerio Messalla cos.

Reliquae epistolae recto ordine dispositae. quarum primae quinque iisdem consulibus, id est Pisone, & Messalla, scriptae sunt: tres vero postremae Afranio, & Metello Celere cos.

EXPLANATIO

Epistolarum Libri I. 3

M . TVLLII . CICERONIS

EPISTOLARVM

A D

T . POMPONIVM . ATTICVM

LIBER . I .

Cicero S. D. Attico.

I.



RETITIONIS NOSTRAE, quā tibi summae curae esse scio, huiusmodi ratio est, quod adhuc coniectura prouideri possit. Prensat unus P. Galba, sine suco, & fallacijs, more maiorum. negatur, ut opinio est hominum, non aliena rationi nostrae fuit illius haec praepropera praesatio. nam illi ita negant uulgo, ut mihi se debere dicant. ita quiddam spero nobis profici, cum hoc percrebescit, plurimos nostros amicos inueniri. nos autem initium prensandi facere cogitamus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his literis proficisci Cincius dicebat. In campo, comitijs tribunicijs, ad xv. kal. Sext. competitores, qui certi esse uidebantur, Galba, & Antonius, & Q. Cornificius. puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse, ut frontem serias. sunt, qui etiam Caesonium putent. Aquillium nō arbitramur; qui denegat, & iurauit morbum, & illud suum regnum iudiciale opposuit. Catilina, si iudicatum erit meridie non lucere, certus erit competitor. de Aufidio, & Palicano, non puto te expectare, dum scribā. de ijs, qui nunc petunt, Caesar certus putatur. Thermum cum Silano contendere existimatur: qui sic inopes & ab amicis, & existimatione sunt, ut mihi uideatur non esse ἀδωάτων, Curium obducere. sed hoc praeter me nemini uidetur. nostris rationibus maxime conducere uidetur, Thermum fieri cum Caesare. nemo est enim ex ijs, qui nunc petunt, qui, si in nostrum annum reciderit, firmitior candidatus fore uideatur: propterea quod curator est uiae Flaminiae: quae cum erit absoluta, sane facile
* eum libenter nunc ceteri consuli acciderim. Petitorum haec est adhuc informata cogitatio. Nos in omni munere candidatorio fungendo summā adhibebimus diligentia: & fortasse, quoniam uidetur in suffragijs multum posse Gallia; cum Romae a iudicij forum refrixerit, excurremus mense Septembri legati ad Pisonem, ut Ianuario reuertamur. Cum perspexero uoluntates nobilitum, scribam ad te. cetera spero prolixa esse, bis dumtaxat urbanis competitoribus: illam manū, tu, mihi, cura, ut praesies, quoniam propius abes, Pompeij, nostri amici. nega me irritatum fore, si ad mea comitia non uenerit. Atque haec huiusmodi sunt. Sed est, quod abs te mihi ignosci peruelim. Caecilius, auunculus tuus, a P. Vario cum magna pecunia fraudaretur, agere coepit cum eius fratre Caninio Satyro de ijs rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. una agebant ceteri creditores, in quibus erat Lucullus, & P. Scipio, & is, quē putabant magistrum fore, si bona uenirent, L. Pontius. uerum hoc ridiculum est, de magistro nunc cognoscere. rogauit me Caecilius, ut adessent contra Satyrum. dies fere nullus est, quin hic Satyrus domum meam uēiret, obseruat L. Domitium maxime: me habet proximum. fuit & mihi, & Quinto fratri magno usui in nostris petitionibus. sane sum perturbatus, cum ipsius Satyri familiaritate, tum Domitij, in quo uno maxime ambitio nostra nititur. demonstrauit haec Caecilio: simul & illud ostendi, si ipse unus cum illo uno contenderet, me ei satisfacturum fuisse: nunc in causa uniuersorum creditorum, hominum praesertim amplissimorum, qui sine eo, quem Caecilius suo nomine perhiberet, facile communem causam sustinerent, aequum esse, eum & officio meo consulere, & tempori. durius accipere haec mihi nisus est, quam uellem, & quam homines belli solent. & postea prorsus ab instituta nostra paucorum dierum consuetudine longe refugit. Abs te peto, ut mihi hoc ignoscas, & me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationem, miserrimo eius tempore uenirem; cum is omnia sua studia, & officia in me contuisset. quod si uoles in me esse durior, ambitionem mihi putabis obstitisse. ego autem arbitror, etiam si id sit mihi ignoscendum esse: ἐπειδὴ οὐχ ἰσχυρῶν, οὐδὲ Κοινωνίδες enim, in quo cursum simus, & quam omnes gratias non modo retinendas, uerum etiam acquirendas putamus. Spero tibi me causam probasse, cupio quidem certe. Hermathena tua ualde me delectat, & posita ita belle est, ut totum gymnasium ἡλίον ἀνὰ δόμῳ esse uideatur: multum te amamus. L. Iulio Caesare, C. Marcio Figulo eos. Filiole me autem scio, salua Terentia.

EXPLANATIO



RETITIONIS nostrae, } peti consulum a Cicero, uideo esse qui credant: imperite non enim peti, sed prensat, anno ante, quam petat: idq. ex consuetudine; quod, quid de quaque tribu sperandum, aut timendum esset, tanto ante scire non alienum uidebatur. nam, etsi non tributis, sed centuriatis comitijs consulum daretur: cum tamen ex omnibus tribubus essent centuriae; (erant enim classij partes; & classes ipsae ex uniuerso populo) prensare tributis comitijs, & cuiusq. tribus animum tentare, non inutile putabant. itaq. & in oratione pro Milone, cū de consularibus comitijs, id est centuriatis, loquitur, Conuocabat, inquit de Clodio, tribus: se interponebat. Nec desunt huius generis exempla: quae, ne factitatem afferat copia, libenter praetermitto. Huiusmodi ratio est, } status hic est: ita se habet nostra petitio.